

D E L E C T U S
FLORAE ET FAUNAE
B R A S I L I E N S I S

JUSSU ET AUSPICIIS
F R A N C I S C I I.
AUSTRIAEC IMPERATORIS
INVESTIGATAE.

AUCTORE

J. C. MIKAN,
M. D. BOTANICÆ IN UNIVERSITATE PRAGENSI
PROFESSORE.

VINDOBONAE,
SUMTIBUS AUCTORIS, TYPIS ANTONII STRAUSS.

C. W. L.

METTERNICH - WINNEBURG

PRINCIPI

IN. OCHSENHAUSEN

DIFFICILLIMA . AUSTRIAE

EUROPAE . DISCRIMINA

MODERANTI

PACIFIGANTI

ARTIUM . MUSARUM

AMICO

CULTORI

MAECENATI

HUNG

FLORAE ET FAUNAE

B R A S I L I E N S I S

DELECTUM

D. D.

J. C. MIKAN.

P R A E F A T I O.

Trado tibi, Lector benevole! florate et faunae, quam naturae scrutatores adhucdum Brasiliam peragrantes uberiorem facile in lucem sunt edituri, quasi primordia. Temporis enim, per quod ibi degere mihi licuit, angustiae*) non nisi regni vastissimi, omni viventium genere luxuriantis limites attingere concesserunt.**) Elucescat paucis his tabulis, quot quantisque Brasilia et animalibus et plantis, nobis hucdum incognitis abundet.

Nolui, jam ab aliis publicata denuo depingere et describere; incognita potius vel minus cognita communicare, mihi proposui. Attamen ob ingentem copiam rerum naturalium, quae ex fertilissima illa terrarum regione in omnes fere Europae provincias continuo transferuntur, facile accidere potuit, unum alterumve promulgatum a me fuisse, quod, me inscio, alibi jam in lucem prodiisset; nam perarduum est, omnia, quae Botanicam et Zoologiam pertractant, opera sat cito sibi comparare, quod vel pretii caritas, vel rarum cum terris, ubi prodeunt, commercium nonnunquam prohibet. Ne tamen hoc in litterario negotio quaedam mihi objiciatur negligentia, multa industria prae ceteris sequentes consului auctores botanicos:

Curtis Botanical Magazin, Vol. I. - XLIV, et Voluminis XLV tab. 2015 - 2077. *Humboldt et Bonpland Plantae aequinoctiales*. Fasc. I. - XII. *Eorumdem Genera et species nova plantarum*. Fasc. I. - XII. *Nicol. Jos. de Jacquin Stirpium americanarum historia*. *Ejusdem Icones plantarum riariorum* Vol. I. - III. *Ejusdem Hortus Schönbrunnensis* Vol. I. - II. *Ejusdem Fragmenta botanica*. *Jos. Franc. L. B. de Jacquin filii Eclogae plantarum* Vol. I. *Rudge Plantarum Guianae riariorum icones et descriptiones*. Fasc. I. - IV. *Ruiz et Pavon Prodromus florae peruviana et chilensis*. *Eorumdem Flora peruviana et chilensis*. Tom. I. - III. *Thunberg Plantae brasilienses*. Decas prima 1817, et altera 1819.

His in operibus plurium reperi plantarum descriptiones et icones, quas novas putabam, cum in Brasilia moranti mihi, praeter Persooni synopsim plantarum, Willdenowi species plantarum et Aubleti historiam plantarum Guianae, nihil ad manus fuerit subsidii botanici. Sortem eandem expertus sum in definitiis animalibus ibidem a me collectis, nam duces solummodo aderant: Linnéi Systema naturae editio Gmeliniana, et Fabricii Entomologia systematica emendata et aucta. Quapropter quoad faunae hunc delectum opera zoologica pervolvi praecipue sequentia:

La Cépède Histoire naturelle des quadrupèdes ovipares et des serpens. Tom. I. - II. *Cuvier Le règne animal, distribué d'après son organisation*. Tom. I. - IV. 1817. *Daudin Histoire naturelle des reptiles*. Tom. I. - III. *Latham Index ornithologicus* Tom. I. - II. cum Supplemento. *Merrem Beyträge zur Naturgeschichte der Amphibien*. Heft I. - II. *Schweigger Prodromus monographiae Cheloniorum*. *Shaw General Zoology*. Vol. I. - IX. *Vieillot Histoire naturelle des oiseaux de l'Amérique septentrionale*. Tom. I. - II., nec non: *Azara Voyage dans l'Amérique meridionale*. Tom. I. - IV.; et ob tractatus, quos continent tam zoologicos quam botanicos: *Annales du Muséum d'histoire naturelle*. Tom. I. - XX. *Mémoires du Muséum d'histoire naturelle*. Tom. I. - III. *Magazin der Gesellschaft naturforschender Freunde zu Berlin*. Jahrgang I. - IV. *Nouveau Dictionnaire d'histoire naturelle*. Tom. I. - XXVII. (1816 - 1819). *Transactions of Linnean Society*. Vol. I. - XII.

*) Decem cum dimidio mensibus vix clapsis, quod ego temporis intervallum, difficultatum, quae majora sub coelo peregrino itinera molientes expectant, ignarus, ad solam præparationem sufficere reperi, jussu Legati caes. reg., ut res hucusque collectas in patriam reportarem. Vindobonam repetiti: eoque ulterioris rerum, quae terra brasiliensis fert, investigationibus nimis cito eruptus.

**) Colligendis plantis et animalibus plaga Sebastianopolim (*S. Sébastien do Rio de Janeiro*) circumiacentes peragravi, paucis horis ab distantes. In itinere vero versus Cabo frio, viginti circiter milliaribus germanicis ab urbe discessi.

Quodsi proinde quaedam a me tanquam nova proferantur, quae in aliis jam libris prostant, operum quo premor defectui hoc tribuat Lector, meas adumbrationes, si non priores, fors tamen exactiores inventurus. Quare nec in hoc casu oleum me operamque perdidisse timeo.

Nova plantarum genera propono: *Stiftiam*, *Conchocarpum* et *Dichorisandram*; quarum nullibi, quousque compertum habeo, mentio facta est. *Vellozia* per Vandelli primo divulgatae, nec in ulla systematis vegetabilium editione nominatae, novam simul speciem offero *).

Lanium, quem nullibi descriptum credidi, ejus imagine et descriptione lapidi et prelo jam commissis nuperrime promulgatum inveni ab Ornithologo Vieillot **). Reptilia, quae accedunt, hucusque naturae scrutatoribus incognita puto.

Quas hic trado icones, in ditionibus austriacis prima artis lithographicae, in adumbrandis rerum naturalium imaginibus conamina sistunt, in quibus efformandis non exigua ab initio difficultates, artem recens natam plerumque prementes offendit. His tamen superandis eam operam atque studium opposui, ut non solum naturae indagatoribus, sed et artis lithographicae cultoribus satisfactum esse confidam.

In examinandis plantis atque animalibus open tulere caes. reg. Bibliothecae, imprimis librorum collectio selecta, ad rerum naturalium Museum c. r. aulicum spectans, enjus ut et rerum ex Brasilia allatarum usus omni liberalitate mihi concessus fuit. Quoad botanicam hujus operis partem vel libris, vel cogitatis communicatis subsidio mili erant: L. B. de Jacquin, Trattinnick et praematura morte scientiae botanicae eruptus Universitatis Hortulanus Schott; quod Zoologiam attinet, gratias sibi vindicarunt: Josephus Natterer, Musci rerum naturalium c. r. aulici Custos (illius, qui Brasiliam hucusque transmigrat, frater), Ornithologiae deditus, et Leopoldus Fitzinger, qui Amphibiologiam studio fervidissimo colit. Plurimum, ut fatear, debeo amicissimo et promovendae bonae rei studiosissimo Ferdinandu Bauer ***), qui plantarum notatu dignissimarum: *Stiftiae* et *Velloziae* icones ad siccata quidem exemplaria, sed ad expositos simul a me viventium characteres tanta dexteritate efformavit, ut platiæ ad vivum delineatas esse putas. Illi quoque debeo analyses exactissime delineatas *Stiftiae*, *Velloziae* et *Conchocarpi*. Hujus et *Dichorisandrae* primas lineas duxit in natalibus campis, vivosque addidit colores plantarum pictor c. r. Buehberger, qui lapsu infelici laesus, mecum in Europam properare coactus est. Nec gratias reserre negligam rerum naturalium pictori c. r. aulico Knapp, qui singulari fide et elegancia plantarum delineationes in lapides transtulit.

Consilium, quod cepi, exiguum hanc iconum et descriptionum seriem ulterius continuandi, alter, qui brevi in lucem prodibit, fasciculus confirmabit. Si vero res minus secundae illum jam ultinum esse juberent, integrum tamen, Lector benevole! consideres velim hoc opusculum, quo particulam saltem non inutilem ad magnum illud physiographiae brasiliensis monumentum contulisse putabo, cuius fundamenta jam saeculo penultimo a Pisone et Maregravio sunt posita, ad quod extruendum Botaïci celeberrimi: Vandelli, Mutis, aliquique multum contulere, et ad quod perficiendum tot tantique Naturae scrutatores, quos inter principis germani ****) nomen fulget, Brasiliam petebant hodieque petunt.

*) In altero delectus hujus fasciculo promulganda.

**) Nouv. Dict. d'hist. nat. Tom. XXXV. pag. 200. *Le Tanga gris (Tamusphilus cinereus)*.

***) Incaruit itinere circa globum terraenum, duce Capitaneo maritimo Flinders suscepit, quo multa naturae producta, eaque admiratione dignissima detexit, praesertim in nova Hollandia, ubi primas simul duxit lineas iconum, quibus prodromum florae novae Hollandiae socii itineris fidissimi Brown illustravit.

****) Maximiliani Principis de Wied-Neuwied conamina jam fertilia nemini erritorum non sunt cogniti.

D E L E C T U S
FLORAE ET FAUNAE
BRASILIENSIS.

AUCTORE
J. C. MIKAN.

FASCICULUS PRIMUS.

Icones et descriptiones contentae.

Botanicae:

- Stifflia chrysantha.*
Conchocarpus macrophyllus.
Dichorisandra thyrsiflora.

Zoologicae:

- Lanius undulatus.*
Emys radiolata.
Coluber Nattereri et leucocephalus.

V I N D O B O N A E.

1 8 2 0.

E M Y S. DUMERIL.

TESTUDINES. LINNÉ. CHELONII. BRONGNIART.

GENERIS CHARACTER ESSENTIALIS. SCHWEIGGER.*

DIGITI distincti. TESTA squamosa oscea. STERNUM dilatatum, solidum. ROSTRUM cornicum.

GENERIS CHARACTER NATURALIS. SCHWEIGGER.

CORPUS aut nudum, aut papillosum aut squamulis obtectum. CAPUT sub testam retractile aut ad latera recondendum, squamosum aut nudum. MAXILLAE corneae, plerumque integræ, superior inferiorem pyxidum instar claudens. COLLUM ut plurimum nudum et teres. TESTA squamosa, in plurimis convexa: costæ undique coalitæ suturis parallelis, et corpora costarum plus minusve distincta. STERNUM dilatatum solidum, squamosum, uni-bi-aut trivalve, ligamentis, per symphysin aut suturis osseis testæ adnexum. PEDES digitati, palmati, rarius subliberi, unguiculati. UNGUES acuti. CAUDA testa brevior.

E M Y S RADIOLATA.

EMYS collo elongato, pedibus palmatis, plantarum digito quinto inermi, testa demisse convexa, fusca; scutellis omnibus planis, radiolato-rugosis.

Unicam Sebastianopoli hujus speciei Emysdem accepi, juvenem adhuc, et vivam quidem, sed debilem et morti proximam, qua brevi insecura, spiritu vini a me servata fuit. Hanc tabula monstrat. Icône lapidi jam inscripta, adulti animalis specimen siccum, cum aliis animalibus e Brasilia misit Dn. Joan. Natterer. Hinc continuo ad ambo specimina respectu habito descriptionem concinnavi.

D E S C R I P T I O.

CAPUT ad latera recondendum, depresso, ovatum, vertice plano, levissime carinato, glabro, fronte lineis transverse impressis notata; nucha, temporibusque minute squamulosis: inchaæ squamulis retrorsum, temporalibus antrorum magnitudine decrescentibus; supra nigro-fuscum, subtus luteo-album. NASUS elevatus, apice prominulo: naribus terminalibus, approximatis, minutis, orbicularibus. MAXILLA superior rotundata, laevis, ad angulum oris levissime sinuata, antice retusa, oblique ad nasus apicem ascendens, margine integrè in inferiorem arete eingens; inferior ad insertionem robusta, antrorum tenuior, margine ab oris angulo arcuatim descendente, integrè, laevi, apice assurgente acutulo. OCULI rostro vicini, minuti, (iride in vivo animali fusoaurata), palpebris latis. TYMPANUM pone oris angulum, magnum, suborbiculare, lutescens.

COLLUM elongatum, teres, supra rugis reticulatis tuberculisque interjectis conico-sphaeroideis exasperatum, nigrum; subtus longitudinaliter rugosum, luteo-album (in juniore cum capitil latere inferiore fuso-maculatum).

TESTA demisse convexa, ovata, antice angustior, rotundata, postice dilatata, dorso piano (in juniore sulco longitudinali leviter impresso), fusca. SCUTELLA disci tredecim plana, lineis elevatis tenuibus rectis, a margine postico ad anticum et latera radiatim divergentibus notata, antice et lateribus lineis parallelis leviter impressis subsenis (in juniore unica) circumscripta: dorsarium primum maximum, margine antico angulato-arcuatum, subquinquangulare; secundum et tertium sexangularia; quartum prioribus minus, sexangularia: angulis duobus posticis approximatis; quintum subquinquangulare, angulis duobus antieis approximatis, margine postico dilatato, subarcuato, medio angulum obtusissimum formante; lateralium radiolis excentricis, versus

* Prodomus monographiae Cheloniorum. Königberger Archiv für Naturwissenschaft und Mathematik. Jahrg. 1812. 5. Stück.

marginem exterum longioribus: primo trapeziformi, margine extero latissimo, subarcuato; secundo et tertio quinquaangularibus: latitudine praevalente, angulis tribus introrsum, duobus extorsum versis, latere antico et postico parallelis; quarto reliquis minore, trapeziformi, latere extero subangulato. MARGO testae integer, hinc inde parum repandus, antice et ad femora dilatatus, lateribus subrevolutus, supra caudam declivis et minutim emarginatus. Bracteae, quibus componitur, viginti quinque subquadratae, ut plurimum radiolatae et lineis parallelis binis aut ternis, leviter impressis (in juniore nondum conspicuis) margine antico et interiore circumscriptae; harum anticae maximae, laterales angustissimae, femorales dilatatae, caudales breviores; in pagina inferiore laevissimae, ad suturas nigræ. (In juniore bracteae marginales viginti septem: duabus angustissimis, pone medias caudales ultra numerum intrusis.)

STERNUM solidum, per symphysis cum testa conjunctum, obovatum, antice rotundatum, retro angustatum, postice bisido - excisum: lobis acutis, angulo interjacente fere recto; lutescens, macula in medio magna, irregulari, ad suturas bractearum profluente, nebulose-fusea (in adulto specimine ad marginem anticum posticumque et ad suturas expansa, medio obsoleta). Bracteae sternum obtegentes tredecim, laeves, lineis paucis parallelis (in juniore unica) ad suturas anticas et interiores leviter impressis circumductae: tres bractearum anticae et duae posticae minores, octo laterales majores, subaequales; anticarum intermedia pentagono-cuneiformis, adjacentibus duabus triangularibus; laterales subaequales: harum primæ vomeriformes, margine antico angulato-arcuato, postico recto, oblique introrsum descendente; reliquis paribus quadrangularibus, secundo et tertio pari processu lateralí stermum cum testa conjungentibus, quarto pari angulo extero posteriori dentem formans, marginem sterni excedentem (in juniore vix conspicuum); posticae trapeziformes, lobos posticos formantes.

PEDES squamosi, palmati, pentadactyli, digitis membrana larga ad ungues usque conjunctis, supra nigri, subtus luteo-albi (in juveni nigro-maculati): palmarum orbicularium ungues quinque, plantarum rotundato-truncatarum quatuor, digito quinto inermi.

CAUDA brevissima, marginem testae parum excedens, conico-acuminata, tuberculata, nigra.

ANUS infra caudæ basin, orificio amplio, rotundato, in canaliculum, caudam inferne longitudinaliter percurrentem, acuminatum abeunte.



MENSURÆ SPECIMINIS JUNIORIS IN TABULA EXPOSITI.

	Secundum pedem Viennensem.	POLL.	LIN.
Longitudo animalis collo porrecto, ad caudæ apicem	-	5	$2\frac{1}{2}$
— capitis	-	1	—
— eöffr a basi sub testa latente ad occiput	-	1	8
— testae	-	5	$1\frac{1}{2}$
— sterni a margine antico ad angulum posticum	-	2	8
— caudæ	-	—	$4\frac{1}{2}$
Latitudo capitis pone aures	-	—	$8\frac{1}{4}$
— — pone angulum oris	-	—	$6\frac{1}{4}$
— testae in scutello secundo vertebrali	-	2	1
— — in scutello quarto vertebrali	-	2	$2\frac{1}{2}$
— sterni summa, in secundo pari bractearum lateralium	1	5	—
Altitudo testae cum sterno	-	—	$11\frac{1}{2}$

Mensurarum speciminis adulti serius missi addo præcipuas:

Longitudo testae	-	5	—
— sterni a margine antico ad angulum posticum	-	4	6
Latitudo testae in scutello secundo vertebrali	-	3	$7\frac{1}{2}$
— — in scutello quarto vertebrali	-	4	5
— sterni summa	-	2	$7\frac{1}{2}$
Altitudo testae cum sterno	-	1	9

Ceteræ proportionales, sed in partibus ceteris obiectis minus bene dijudicandæ.



Emys radicularis